

Antioceni canones dicunt¹: Ut si quis episcopus de certis criminibus accusatus condemnatur ab omnibus episcopis eiusdem provinciae cunctique consonanter eandem contra eum formam decreti protulerint, hunc apud alios nullomodo iudicari, sed firmam concordantium episcoporum provinciae manere sententiam. Et hinc quod praemisimus

*f. 27'. Iulius dicit²: Salva^a apostolicae ecclesiae auctori*tate nullus episcopus extra suam provinciam ad iudicium devocetur. Sed vocato eo canonice in loco omnibus congruo tempore synodali ab omnibus conprovincialibus episcopis audiatur, qui concordem super eum canonicamque proferre debent sententiam.

21. Cum haec ita se habeant, nos, ubi rationis et auctoritatis perurget necessitas, et iudicia canonica exequimur. Et culpandi non sumus, quoniam aliter erga fratres non agimus, quam apostolicae sedis papae fieri placet quamque quod ipsa prima in toto orbe terrarum sedes fiendum esse decrevit. Quae non inter se adversa neque diversa tenemus. Sicut et quod dictum est ab evangelica veritate de baptizante Domino tenendum doctrina catholicorum accepimus. Utrumque autem de Domino scriptum est³: et, quia baptizabat plus quam Iohannes, et, quia ipse non baptizabat, sed discipuli eius, ut intellegamus et ipsum tunc baptizasse, sicut et nunc baptizare praesentia maiestatis, non tamen ipsum baptizasse manibus suis; ipsius enim erat baptismi sacramentum, *ad discipulos autem baptizandi ministerium pertinebat. Et quicumque sit, qui catholice^b baptizatis per debitae ac traditae servitutis obsequium baptizandi ministerium expleat, tamen ipse est, sicut est scriptum in evangelio⁴, 'qui baptizat in spiritu sancto'.

22. Sic et quicumque⁵ nostrum dignatione divina primates provinciarum constituti sub apostolicae petre iudicio iudicamus vel cum decretis illius una cum coepiscopis nostris decernimus: apostolica est sedes, quae in nobis famulis suis et pro patribus natis filiis⁶, id est pro apostolis ordinatis episcopis, in ordinandis coordinat et in decernendis canonice condecernit et in iudicandis coniudicat. Quia sive ipse^c Dominus aqua aliquos discipulorum suorum primus baptizaverit, per quos ad caeteros fideles baptismi rivus

a) Hier setzt die erste Hand wieder ein. b) korr. aus catholicae.
c) Hier beginnt die zweite Hand wieder.

¹) Migne 67, 162 c. 93. ²) Can. Ps.-Nicaen. bei Ps.-Julius, HINSCHIUS S. 469 (J-K. f. § 196). ³) Vgl. Joh. 4, 1. 2. ⁴) Joh. 1, 33
⁵) Vgl. Hinkmar, Migne 126, 420 f.; oben S. 57. ⁶) Vgl. Ps. 44, 17; oben S. 58.